

De tempore.

349 Quando hic liber scriptus sit, dicitur aliqui, quod scripsit hunc librum postquam de suis peccatis egit poenitentiam. Sed opposita sententia videtur probabilior, quia Salomon in hoc Cantico Canticorum introducit sub nomine Dilecti juxta id, quod de eo dicitur 2. Reg. 12. n. 25. Vocavit eum amabilis Domino, eod quod diligeret illum Dominus. Quod maxime videtur denotare tempus suae justitiae, ac virtutis; & faveat maxime Auctor Ecclesiast. c. 44. n. 17. De Salomone loquens ait: Ad insulas longe divulgatum est nomen tuum, & dilectus es in pace tua; tempus autem pacis regni Salomonis fuit tempus quando ipse vixit in Dei dilectione, ubi a dilectione cessavit, illic & pax cessavit: nam post numerata eius peccata, statim subditur, 3. Reg. 11. n. 14. Suscitavit Dominus adversarium Salomoni Ada Idumaeum. Et Ieroboam, tunc ab illo discessit. 3. Reg. 11. n. 26. vide supr. q. 17. n. 437. 438.

QUESTIO XIX.

Quis sit Auctor libri Sapientiae.

SUMMARIUM.

- 350 Contra Haereticos liber Sapientiae est Canonius, & n. 351.
352 Multi contendunt Salomonem non esse Auctorem libri.
353 Eius Auctor non est Philo Hebraeus, nec alius Senior, & n. 354, 355, 356, 357.
358 Eius Auctor non est ejus filius Sirach.
359 Nec est ejus Auctor unus ex Septuaginta.
360 Eius Auctor Salomon, & n. 361, 362, 363.
364 Refellitur Responsio adversariorum & n. 365, 366.
367 Solvantur argumenta contraria, & n. 368.
369 Argumentum libri, & de acceptione Sapientiae.

350 De fide certum est, quod hic liber sit Canonius. Ita definit Gelasius Primus in Concil. Roman. Carthag. 3. Florentin. ac Tridentino. Et maxime confirmatur haec veritas, quia Apostoli, ac eorum Magister Christus Dominus saepe de hoc libro sumunt testimonia, ut de aliis sacris Math. 13. num. 43. ex hoc libro cap. 3. num. 7. mutantur illa verba fulgebant justi sic & Paulus Roman. 11. num. 34. ex hoc libro cap. 9. num. 12. Quis hominum potest scire consilium? Sic ad Ephesios 3. n. 6. & multis aliis in locis.
351 Contra hanc Catholicam veritatem se opponunt Haeretici non solum antiqui, ut qui reliquiae Pelagianorum dicebantur, ut testatur Sixtus Senensis lib. 8. haeres. 9. Sed etiam Haeretici moderni, ut Calvinus, qui impudice dicebat se invenisse mendacium in hoc libro: nam cap. 14. n. 15. dicitur, quod Auctor idololatria fuerit pater lugens filium immatura sibi morte ereptum; quod falsum esse inde probat, quia, ait ipse, longe antiquior est idolorum origo. Nam Rachel Genes. 31. n. 19.

furata est idola patris sui, quae multo tempore praecessit illum patrem filium lugentem. Sed omnino fallitur Haereticus: nam Syrophanes erexit idolum pro filio juxta Salianum anno mundi 239. n. 301. Rachel furata est idola patris sui juxta Salianum anno mundi 505. n. 3: Ac proinde ille pater idololatra filij praecessit ante Rachel 266.

Auctor hujus Libri.

Valde intricata est haec quaestio, & multis difficultatibus plena est. Prima sententia tenet Salomonem non esse Auctorem hujus libri. Lyran. Hugo. Dionys. Iansenius, Abolens. A Castro, Canus, Medina, Curiel, Palatius, Abuleus, A Castro, Canus, Medina, Curiel, Cornel.
352 Multi contendunt Salomonem non esse Auctorem hujus libri. Lyran. Hugo. Dionys. Iansenius, Abolens. A Castro, Canus, Medina, Curiel, Palatius, Abuleus, A Castro, Canus, Medina, Curiel, Cornel.
353 Eius Auctor non est Philo Hebraeus, nec alius Senior, & n. 354, 355, 356, 357.
358 Eius Auctor non est ejus filius Sirach.
359 Nec est ejus Auctor unus ex Septuaginta.
360 Eius Auctor Salomon, & n. 361, 362, 363.
364 Refellitur Responsio adversariorum & n. 365, 366.
367 Solvantur argumenta contraria, & n. 368.
369 Argumentum libri, & de acceptione Sapientiae.

Haec sententia non potest consistere, nam iste Philo fuit post tempora Christi, & infidelis & in Judaismo pertinax permanit, & mortuus est. Quis credat hominem infidelem alienum a Christo, fuisse tam sublimem illuminatum a Spiritu sancto, ut librum Canonium, & fidelem scriberet? Secundò, Liber Sapientiae a tota Ecclesia, ac omnibus Patribus numeratur inter libros veteris Testamenti; Philo autem vixit post Christum, ergo si Philo est illius Auctor numerandus erat liber in novo Testamento. Tertio, hic liber Sapientiae citatur a Christo Domino, ac Apostolis, ut jam notavi; Philo autem exiit post Christum, & Apostolos; ergo non fuit Auctor hujus libri.

Secunda sententia tenet librum fuisse conscriptum a Philone, non illo, qui vixit post Christum, sed ab alio Seniore qui vixit 160. ante Christum sub Onia Pontifice. Ita censent Curiel controvers. 2. Michael Medina lib. 6. de rella in Deum fide, cap. 12. Driedo lib. 6. de Ecclesiasticis Dogmat. cap. 4. ad 5. diffinit. Canus lib. 2. de locis cap. 11. ad 5.

Haec sententia non potest subsistere, nam talis Philonis Senioris nulla est mentio apud Auctores antiquos, nec apud Josephum, nec Eusebium, ac alios, sed solum refertur quidam Philo Byblius ex Byblos civitate Phoeniciae, homo gentilis, & idololatra, & non Hebraeus: Sic ideo scribit Eusebius lib. 1. Preparation. Evangel. cap. 6. & lib. 8. ait, quod ipse scripsit

358 Tertia sententia, quae fuit S. August. lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 8. & lib. 17. de Civit. cap. 20. tenet Auctorem libri Sapientiae, ac etiam Ecclesiastici fuisse eundem Jesum filium Sirach; & in hac sententia videntur esse D. Isidorus, Theodoret. apud Lippoman in cap. 16. Exod. & hanc sententiam, cum nullo pro se habeat fundamentum, retractat ipse Magnus Augustinus lib. 2. retract. cap. 4. sic ait: De auctore libri, quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quod etiam ipsum, sicut Ecclesiasticum Jesus filius Sirach, scripsit, non ita constare, sicut a me dictum est, postea didici, & omnino probabilius comperi, non esse ejus libri Auctorem.

359 Quarta sententia est Cornelii a lapide argumento in Sapientia videtur ergo, & aliorum asserentium hunc librum sapientiae scriptum fuisse ab uno ex Septuaginta interpretibus, & nullum aliud assignatur fundamentum, nisi quaedam conjectura valde frivola, quia Septuaginta fuerunt viri docti in lingua Hebraica, & Graeca. Tamen Auctores antiqui, ut Josephus Eusebius, D. Hieron. & etiam magis moderni Augustin. Justinianus Opusculo de Septuaginta Interpr. Baron. tom. 12. Annal. anno Christi 232 Salmeir. tract. 1. Commentar. Prolog. 1. Bellarm. tom. 1. lib. 2. cap. 5. & 6. Sixtus lib. 8. Bibliot. haeres. 13. Salian. anno Mundi 3775. Anon. 5. Isti omnes, qui ex professo tractant de Septuaginta solum eos cognoscunt interpretes, & nullum ex eis auctorem alicujus libri; ergo frivolum est, & sine fundamento dicere, aliquem ex eis fuisse auctorem libri Sapientiae.

Verior Sententia.

360 In re valde dubia, & ardua probabilior videtur sententia, quae affirmat Salomonem esse Auctorem hujus libri. Haec est communis sanctorum Patrum, valde conformis cum ipso Textu, & maxime cum Graeco, & cum his, quae Ecclesia Catholica canit. Et valde communis Patrum, Tertullian. de praescript. cap. 7. D. Gyprian. lib. 3. Testim. cap. 15. & 2. D. Ambros. lib. de Parad. cap. 7. D. Hilar. in Psal. 127. D. Damascen. lib. 4. de fide, cap. 18. D. Epiphanius. haeres. 76. D. Basil. lib. 5. contra Eunom. cap. penult. D. Athanas. in synopsi sacra Scriptura, D. Nazianz. orat. 49. Origen. Concil. Carthag. 1. Innocentius primus Evaristus in sua Epistola, Felix Papa primus, & alii multi Patres, quos citant, ac sequuntur Moderniores Driedo lib. 1. de Eccles. Dogmatibus in solut. 5. differ. Canus lib. 2. de locis, cap. 11. in solut. 5. arg. Sixtus Senens. lib. 1. Bibl. cap. de Sapientia Salom. & clarius lib. 8. haeres. 9. Lahay in Prolog. Bibl. Max. sect. 15. cap. 16. & Lyran. in Glossa, & male citatus pro contraria sententia.

361 Nec sufficienter respondent adversarii ad tot, & tantos Patres, quia ex eo eum dicunt librum Salomonis, quia in eo sunt multa sententiae prolatae, a Salomone. At sancti Patres cum dicunt sapientiam esse Salomonis absolute intelligunt totum librum esse a Salomone

ne Auctore aliis dicitur etiam, hunc librum esse compositum a Davide, vel Isaia, quia in eo multa referuntur loca ex Psalmis, ac Isaia. Deinde ut refert Eusebius lib. 4. Histor. cap. 22. inquit: Egestus, & Irenaeus, & omnium antiquorum chorus, librum, qui immulatur Sapientia, Salomonis esse dixerunt, sicut & Proverbia. Atque juxta omnes Salomon est Auctor Proverborum; ergo ita etiam, juxta omnem antiquorum chorum, Salomon est Auctor sapientiae.

362 Probatur secundò: quia Textus Graecus est magna auctoritatis, Titulus hujus libri in Textu Graeco ita habet: Sapientia Salomonis. Deinde Ecclesia in solemnissimo Officio hebdomadae sanctae in Paraceve ad matutinum, utitur lectionibus D. Aug. ex tract. in Psal. 73. de iniquis loquens ait: Verbum ipsorum agnoscimus in Sapientia Salomonis, &c. ergo haec sententia est D. Augustini, licet male citetur pro contraria sententia, & nostram resolutionem videtur Ecclesia approbare, dum talia decantat.

363 Probatur tertio, & fortiter ex ipso Textu; ex hoc libro Sapientiae 9. num. 7. sic ait Salomon de se ipso. Tu autem Domine elegisti me Regem populi tuo, & judicem filiorum tuorum, & silvarum, & dixisti me aedificare templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuae aedificare ad similitudinem tabernaculi tui, quod preparasti ab initio. Quae verba nec possunt convenire Syrach, nec cuilibet Philoni, nec alicui ex interpretibus, sed tantum Salomoni; nam ipse fuit constitutus a Deo Rex in Jerusalem, cui Deus dedit multam sapientiam ad judicandum, ac ut aedificaret ipsi Deo magnificentissimum templum: aedificare, & tabernaculum, lib. 3. Reg. cap. 3.

364 Respondent adversarii, quod saepe in actione aliqua persona valde eminentis in aliqua facultate introducit loquens tanquam in propria persona, quamvis non sit ipsa met persona, ut saepe sapienter facit Plato in suis dialogis; sic & ipse Salomon hic introducit loquens, quamvis non sit ipse met Auctor libri.

365 Sed contra hanc responsionem primò. Verba Scripturae debent accipi in proprio sensu, ac genuino, si aliunde non sequitur aliquid absurdum, aut aliquid contra veram, & sanam doctrinam, aliàs si verba non accipienda sunt in proprio, sed in sensu improprio nulla est veritas certa in Scriptura; atqui quod in praesenti Salomon proprie in sua persona propria intelligatur loquens, nullum in se sequitur absurdum contra veritatem, aut fidem; ergo ita est tenendum. Secundò, saepe in hoc libro sapientiae introducuntur loquentes, impii, & justi, & non in prima persona, sed in tertia, tanquam quod Auctor hujus libri, eorum dicta, ac sententias referat, cap. 2. n. 1. Dixerunt impii cogitantes apud se non recte; & iterum num. 21. Haec cogitaverunt, & erraverunt, & cap. 3. num. 10. Impii autem secundum quae cogitaverunt, & cap. 4. num. 17. Videtur finem Sap. 3. sapientis; sic & de justis, cap. 4. num. 11. Raptus est ne malitia; & n. 13. Consummatus in brevi explevit tempora multa. Cum ergo in hac actione de his non loquitur in prima persona, sed in tertia, tanquam eorum dicta, ac facta referens, & solum de Salomone agitur in prima persona



persona. Quam hujus discriminis ratio? Quia Salomon loquitur de se in propria persona, ut Auctor libri, & rem scribens.

Ad Argumenta.

366 Ad primum argumentum dicimus, quod hic liber scriptus est à Salomone Hebraico idiomate, & licet modo non habeatur Hebraico idiomate, nec à multis Patribus fuerit habitus, tamen D. Isidorus vir magnus sapientia & virtute, lib. 1. de Officiis Ecclesiasticis, cap. 12. testatur Hebraice scriptum à se visum fuisse: quod etiam facit Cornelius contraria sententia sep. à citatus, §. verum longe. Secundò dicimus, quod ipse Codex Hebraeus injuria temporis perit, sicut perierunt viginti libri sacre Scripturæ, ut retuli supra resol. 1. quest. 4. num. 46. Deinde sunt graves Auctores, qui dicunt, quod Hebræi non antiqui, sed moderni, hunc librum Sapientie suppresserunt, quia in eo maximè arguitur, & condemnatur Judæorum nequitia, ac malitia, qua conspiciaverunt contra Christum Dominum, ut patet ex cap. 2. num. 17. & multis aliis locis. Argumentum secundum desumitur ex auctoritate D. Hieronymi. Epist. ad Chromasium, ubi ait Stylus libri sapientie, qui Salomonis inscribitur, Græcam redolet eloquentiam. Idem videtur dicere D. August. lib. 2. de Doctrina, cap. 8. & lib. 17. de Civit. cap. 20. & confirmat D. Hieron. lib. de viris Illustribus, facit catalogum de operibus Salomonis, intra quæ nullam facit mentionem de libro Sapientie; ergo juxta D. Hieron. sapientia non est opus Salomonis, quod idem videtur tenere Euseb. lib. de Hist. Eccles. cap. 18.

368 Respondetur, quod ille codex Sapientie, quem D. Hieronymus habuit præ manibus, erat codex Græcus, ut ipsemet sanctus Doctor facit, qui codex ex Hebræo traductus fuit ab aliquo viro Græco multa eloquentia in idiomate Græco, inde rectè ait D. Hieronymus, quod redolet Græcam eloquentiam. Similiter dicendum est ad Augustin. Ad confirmationem dic, quod D. Hieronymus inter opera Salomonis non computat librum Sapientie; tùm quia liber non erat Canonicus, & quia Hebraicè non reperiebatur. His rationibus adductis magnus sanctus Doctor non est ausus in hac re aliquid affirmare, vel negare. Cur autem Hebraicè non reperiebatur jam modò in primo argumento supra dixi. Ad id autem quod dicitur de fabulis Poetarum nullius momenti est, nam multi Poetæ Græci; ut Homerus, & alii fuerunt ante Salomonem, ad quorum carmina, & dicta potuit ipse alludere.

Operis Argumentum.

369 Ipsum nomen Sapientie, in titulo libri appositum argumentum operis optime declarat; nam, ut ait D. Isidorus lib. 3. etymolog. sapientia est sapida scientia, hoc est magna, & præclara scientia, & sapientia tripliciter considerari potest, ut advertit Loricus. Primò latè, proat unusquisque in sua arte peritus, ac bene instructus dicitur sapiens. Secundò, expressè pro dono Spiritus sancti. Tertio, ut in præsentibus, pro recto, & composito, cum vera co-

gnitione, ac timore Dei, ac reverentia ejus majestatis, à quo secundum opera, unusquisque recipit retributionem secundum sua merita, vel demerita, ut dicitur in hoc libro Sapientie, cap. 6. num. 18. Ecclesiast. 11. Sap. 6. Proverb. 11. & Deuteron. 4. & 5. & latè disse- rti: Lactant. lib. 3. de vera sapient. cap. 11. & Lactantius lib. 4. cap. 3.

QUESTIO XX.

Quis sit Auctor libri Ecclesiastici.

SUMMARIUM.

- 370 De nomine libri, ejusque auctoritate Canonica.
371 Prologus an sit Canonicus, & n. 372.
373 Multi dixerunt librum esse compositum à Salomone.
374 Compositus est à Jesu Sirach, & num. 375
376 Non obstat quod a multis Patribus dicatur compositus à Salomone.
377 Compositus est liber lingua Hebraica.
378 Explicatur quis esset iste Jesus Sirachides Auctor libri.

Hic liber dicitur Ecclesiasticus juxta Isidorum Clarum, quia utilissimus est universæ Ecclesie Dei. Contra auctoritatem hujus libri obtrahant Hæretici, Lutherus tom. 2. colloquiorum de libris veteris testamenti. Calvin. in anidato. Relicta Hæreticorum impietate certum de fide est librum Ecclesiastici, esse Canonicum, ut definitum est in Concilio Trident. sess. 4. in Florent. in instruct. Armeniorum, in Cath. 3. can. 43. & Gelasius Papa in Concilio Romano, anno Christi 494. & inter libros Canonicos illum ponit, ac annumerat, illumque ut Canonicum partes tam Græci, quam Latini, maximè venerantur, & citant quos larga manu citat, ac referi Cornel. à Lapide in Prologo hujus libri cap. 1.

Tota controversia in hac materia est, an Prologus hujus libri, qui incipit: Multorum nobis, &c. sit etiam scriptura Canonica: In qua re maxime decipitur Abulens, Præfat. in 1. Abulen. Paralip. cap. 17. qui asserit eundem esse Auctorem Prologi, & libri Ecclesiastici, scilicet Jesum juniorem, & contrarium expressè constat ex ipsemet Prologo, in quo hic junior testatur, quod à suo avo acceperit.

An iste Prologus sit Canonicus? est quæstio. Dubitant Janfenius apud Serarium citandam, & Pina in Ecclesia, ita ut nihil audeant affirmare. Tamen affirmant Gretserus tom. 1. defens. Bellarm. cap. Bonartius, Titinus in Ecclesiastic. Bonfretius in Prolog. cap. 4. sect. 14. Serarius in Prolog. cap. 8. quest. 17. Fr. Anton. à Matre Dei citat. num. 199. §. sed Canon. Altera sententia, quæ probabilior videtur, negat esse Canonicum. Ita Scalante lib. 4. Clusæ. cap. 43. & Cornelius in Prolog. Et ratio est, quia Jesus junior, qui composuit prologum non fuit Auctor, sed interpret libri, ut ipsemet explicat in prologo, & interpret non condit scripturam, sed interpretatur. Deinde Ecclesia approbavit ipsum librum Ecclesiastici, prologus autem est

extra corpus libri, maximè quando est ab alio Auctore diverso. Nec obstat, quod Prologus sit in ipsa Biblia, ad quod respondendum quest. sequenti.

Auctor libri.

373. Hugo. Circa auctorem hujus libri multa olim varietas opinionum, Cardinalis Hugo in Præfatione hujus libri, ait incertum esse Auctorem. Tamen gravissimi Patres tenuerunt hunc librum fuisse scriptum à Salomone. Ita Anacletus Pontifex epist. 2. D. Basilios in Regulis disp. resp. 17. D. Chrysol. in Psalm. 134. S. Maxim. homil. 2. de Pasch. D. Leo serm. 1. de Quadrages. cap. 3. D. Gregor. homil. 1. in Ezechielem, Calliodorus in Psalm. 55.

374. Tamen certissima, & vera sententia absque ullo dubio est, Auctorem hujus libri Ecclesiastici non esse Salomonem, sed Jesum Sirach, Jerosolymitanum. Sic tenet universa Ecclesia, & sic aperte dicitur non solum in Prologo hujus libri, sed etiam cap. 50. num. 29. dicitur Doctrinam sapientie, & discipline scripsit in Codice isto Jesus filius Sirach, Jerosolymita, Sicut ergo contenta in hoc libro Ecclesiastico sunt Canonica, & de fide credenda, ut pote dictata à Spiritu sancto, sic de fide credenda, quæ in hoc cap. 50. continentur, ac proinde, quod Jesus filius Sirach in Codice isto scriptus hæc. Confirmatur, quia in ultimo suorum Canonum articulo jubent adolescentem Christianos addiscere Sirach sapientiam. Ita sancti Patres D. August. lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 8. D. Hieron. in cap. 9. Danielis, sequuntur S. Eusebius lib. 8. de preparat. cap. 2. D. Athanas. in synops. de Ecclesiastico, Procopius Gazæus Præfatione in Genesi. D. Epiphani. lib. 2. hæresi 8.

375. Et quamvis tot, & præclarissima testimonia decissent, ipsa veritas luce meridiana clarior apparet, nam Auctor hujus libri Salomonis facit mentionem, & aliorum Regum, qui post Salomonem floruerunt, nempe Roboam, Ezechia, Josia; tum etiam meminit Prophetarum, qui multo tempore elapso post Salomonem resplenderunt, ut Parentis Eliaz, & Elisæi, ac Simoni. filij Oziæ.

376. Nec contra hoc militat, quia multi Patres, ut superius vidimus, appellant hunc librum Salomonis, quod ex multiplici causa factum est ut ait D. Athanasius citatus, quia Ecclesiasticus habet multas morales sententias, in quibus videtur imitari Salomonem. Secundò ut tradunt Driedus lib. 1. de scriptura Ecclesiast. cap. 3. & post eum Bellarm. lib. 1. de verba Dei, cap. 14. & prior omnium noster insignis Vualden. lib. 1. Doctrinalis fidei, art. 2. cap. 20. quia idè dicitur hic liber Salomonis, quia hic liber de promptu est ex Salomone, partim ex his, quæ erant edita ab eo, partim ex his, quæ ut Salomonis per omnia ora versabantur, nam Salomon multa dixit, ac dictavit, quæ non sunt scripta 3. Reg. 6. n. 32. Tunc Sirachides illa Salomonis sparsa aliquibus additis hunc librum composuit. Tertio Paulus de Palacito ait, quod Jesus filius Sirach ob suam eximiam sapientiam vulgariter appellatus est Salomon, & inde liber scriptus vulgariter liber Salomonis appellabatur.

377. D. August. D. Hieron. Eusebius. D. Athan. Procop. D. Epiphani.

378. D. August. Bellarm. Uvalden.

379. D. August. Bellarm. Uvalden.

377. Quæres in qua lingua hic liber scriptus sit. Respondeo hebraico idiomate; ut pote lingua patria, & quia suis compatriitis naturalibus Sirachides hunc librum scribebat; ergo in eorum lingua ut ab eis intelligeretur, D. Epiphani. lib. de Ponderibus, sic ait; Jesus, qui sapientiam illam scripsit Hebraicè, ita ut nepos ejus cum sit interpretatus Græcè. Quod etiam docet D. Hieron. in Præfatione ad hunc librum à D. tamen Hieronymo non est in latinum redditus, sed ab alio antiquiore, nam eadem verba, quæ in nostra vulgata latine habentur, citantur à Patribus D. Hieronymo, antiquioribus, ut sunt Clemens 1. Epist. 5. Evaristus epist. 1. adducens verba illa Ecclesiast. 14. Gyrum cali circumi sola, &c. Alexand. 1. epist. 3. Callistus 1. epist. 1.

378. Quæres tamen, quis sit iste Jesus filius Sirach? Respondeo, quod Sirach extitit civis Jerosolymita, ut constat ex cap. 50. n. 29. Ejus profapia est in hunc modum. Sirach valde antiquus, & veluti caput totius generationis genuit Jesum, qui dicitur senior, & hic est, qui composuit hunc librum Ecclesiasticum. Hic Jesus senior genuit Sirach juniorem cui pater moriens Ecclesiasticum à se compositum reliquit. Ille Sirach genuit Jesum juniorem, qui Ecclesiasticum, ab avo scriptum, ut ipsemet testatur in Prologo, ex Hebræo in Prolog. Græcum idioma tradidit.

379. Iste Jesus senior, Auctor Ecclesiastici, fuit vir valde præclarus sapientia, & maximè prædoctus in scriptura, ut patet ex ipso Prologo, & ex cap. 51. n. 18. Unde à multis vocabatur Eccles. 51. Salomon, ut jam dixi, fuit valde magnus, & princeps habitus, ut ipsemet testatur cap. 5. n. 13. Exaltasti super terram habitationem meam. Fuit etiam Propheta. Sic eum appellant S. Anaclet. epist. 2. S. Evarist. epist. 1. S. Chrysolom. in cap. 6. Genes. Optatus Milevit. lib. 4. contra Donatist. Calatius Arelatenus homil. 15. & communiter alij Patres ut patet ex cap. 44. Eccles. 44. num. 16. & cap. 48. n. 10. ubi vaticinatur adventum Eliaz, & Enoch in fine mundi, & Christi Domini descensum ad inferos cap. 24. num. 35. Per varias regiones peregrinavit, & descendit in Ægyptum, ut patet ex Prologo, ubi Ecclesiasticum composuit, tempore Ptolomæi Philadelphii, qui Septuaginta duos Interpretes congregavit, ex quibus unum hunc Jesum seniore fuisse tradunt Genebrard. in Chronolog. lib. 2. Arietas in historia 72.

QUESTIO XXI.

De Threnis Jeremia, ac ejus præfatiumcula an sit Canonica Scriptura.

SUMMARIUM.

- 380 Threni Jeremia sunt Canonici.
381 Quod Præfatiumcula sit Canonica affirmat prima sententia cum suis fundamentis, & num. 382.
382 Secunda, & vera sententia negat. n. 384. 385
386 Respondetur ad primum, secundum, & tertium argumentum, & n. 387. 388.